

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0316

0314

0320

0310

0325

0305

0365

0265

0415

0215

0815

303

irrigare planitiem, eo anno more suo non ascendit ad signum, quod solent ponere Aegyptii, sed magnam partem terrae discoopertam et siccam reliquit, quod non arari nec seminari valuit illo anno. Quare Soldanus futuram timens caritatem, una cum Corradirio fratre suo, sub his pactis pacem obtulit Christianis, ut scilicet crucem, quae olim capta fuerat in victoria Saladini cum civitate sancta Jerusalem et omnibus captivis, qui per Aegyptum et regnum Damasci vivi poterant reperiri, insuper et sumtus ad reparandos muros Jerusalem redderet eis, et totum regnum Jerosolymitanum, quod antea Christiani tenuerant, restitueret ex integro, et Praecurchum et montem regalem, quae sunt duo castra urbi Jerusalem vicina, per quae mercatores Sarracenorum et peregrinorum Meccam tendentes transire solent. Hoc Soldanus totum volebat agere, dummodo Christiani ab impugnatione Damiatæ desisterent et soluta obsidione in Syriam copias suas reducerent.

Haec pacta acceptanda esse omnino et Christianis valde utilia censebat rex Johannes Jerusalem et omnes nobiles et dux Austriae et omnes capitanei Theutonicorum, sed Pelagius legatus ipse et patriarcha, episcopi et archiepiscopi, Templarii et Hospitalarii, Veneti et Genuenses et caeteri Itali his pactis se opponerant et facta fuit grandis divisio in exercitu nostro. Principes enim saeculares cum vulgo quam libenter pacem accepissent cum civitate sancta Jerusalem et toto regno et obsidionem solvissent et hoc bonum et salutare fuisset, sed e contrario legatus et ecclesiastici praelati cum italicis mercatoribus clamabant, capiendam Damiatam, aestimantes, civitate ea subacta faciliter tam Jerosolymam quam alia subjicienda. Sed qui nimis emungit, elicit sanguinem. Sic et illis contigit, quia negotium hoc male prosperatum fuit in fine. Cupiditas enim ecclesiasticorum et insatiabilis avaritia mercatorum, quibus hic agebantur, in bonum finem recte deducere non poterant. Verum quia Damiatæ, superba maris dominatrix et Christianorum spoliatrix, stabat premenda, idcirco haec omnia sunt divinitus permissa. Cum ergo Saladinus iam de pace desperasset, clam de nocte magnam multitudinem peditum misit in civitatem, de quibus multi a nostris capti sunt et occisi. Quidam autem milites ex mandato legati ad portam

Ende

Anfang